

diti, aut infra memoratis de causis plus, quam par erat, cum-
 mulati, & inde vel longā retentionis morā, vel copiā natu-
 ram gravante putrescentis. Atq; hoc excrementum com-
 muniter *crassum* appellamus, quamvis cum *multo ichore*,
 conjunctum sit, ut docet Hipp. cum sanguinem melancho-
 licum 6. Epid. 32. *ἰχωροειδῆ καὶ λεπτόν* ichorosum & tenuem no-
 minat & Arist. 9. Probl. 5. *ὕδαρῃ* aquosum. Non raro ei ali-
 quid pituitæ admisceatur, & *Quartanam notam* reddit, ut
 observat Montanus, vix, inquit, videbitis *Quartanam puram*,
sed semper aliquid pituitæ admixtum est Melancholice. Ratio est,
 quod qui ad obstructa vasa restagnat, est *παχὺς καὶ δύρ-
 τας, καὶ δισκίνητος* crassus & difficulter mobilis, qui affluit est
φλυματικὸς, καὶ ὠμὸς, καὶ ἡμίπεπτος, pituitosus, crudus, &
semicoctus. Verùm sola etiam pituita, præsertim quæ *salsa* est,
 & *adustionem* passa *Quartanam* generat, conspicimus namq;
 corpora, in quibus nulla Melancholice indicia, hunc mor-
 bum incurrere: Nec minus sæpe fit *ab humore atrabilaria*
 non tamen illo, qui *Φαῦλος* malus Platoni *ἀγρίος* ferus dici-
 tur, sed qualis ex superaffatione reliquorum humorum an-
 te subsistente, quàm in illam diritatem perducatur.

CAUSÆ REMOTÆ NATURALES talem corpori
 cacochymiam inducentes sunt: *Temperamentum* totius *frigidum*
 & *siccum*, Rationem affert Senn. 1. 2. Inst. part. 2. c. 6.
 quod humorem tenuem absorbendo sanguinem terreum,
 & crassum reddat, quin potius, quod obstructionibus ob-
 noxium sit, difficilius concoquat, excrementa cumulet,
 minus perspiret; *Calidum* & *siccum* humores adurens: ætas
 consistens præ cæteris hujus mali insulcibus substrata: Par-
 tium digestionem destinatarum vitium *Epatis*, *Lienis* præci-
 pue, tum *Ventriculi*, in quem confluant ichores quoscunq;
 corpus colligit superfluos ait Hipp. 6. sanit. tuen. c. 9. Idem 2.
 pregn. c. 13. Non Epas tantum sua ipsius excrementa quæ-
 dam, & ichoras, & humores præternaturales in ventricu-
 lum mittit, sed & totius corporis excrementa eò conflu-
 unt. Gal. 5. loc. aff. c. 6. agens de Melancholice docet, siqui-
 dem